

ab infrascripto Secretario facta, rescribendum censuit: „Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.“
N. 4760 die 8. Aug. 1835.

87) „In virtute tua“ etc.

*Dubia circa Evangelium Missae:
In Virtute tua.*

Circa Ev. in Missa *In virtute tua* legendum et Homil. correspondentem in Officio recitandam plura S. R. C. Decreta habemus in authentica Collectione, signanter n. 3394 ad Dub. VI.; n. 4325 ad VIII.; n. 4345 ad IX.*), tamen adhuc dubitatur circa expressa in sequentibus Dubiis:

1. Utrum in Missa *In virtute* legi possit Ev. *Nolite arbitrari* in Festis SS. Martyrum, pro quibus Missale assignat aliud Ev. de Communi cum Missa *In virtute* legendum v. g. pro S. Wenceslao die XXVIII. Sept., in Breviario assignatur Homilia in Evangelium *Si quis vult* et in Missali Missa *In virtute* cum eodem Ev. *Si quis vult*, an potest pro praedicto S. Wenceslao legi Missa *In virtute*, cum suo Ev. *Nolite arbitrari* et consequenter in Officio legi Homilia aliqua Octavarum in Evangelium illud *Nolite arbitrari*, puta Homilia S. Hieronymi, quae incipit: *Supra dixerat* et quae in Octavario reperitur II. die infra Octavam? Hanc Homiliam Breviaria in nostris Regionibus impressa ut plurimum insertam habent.

*) Paucis abhinc annis in officio unius mart., quando dicenda est missa *In virt. tua*, legitur evang. *Nolite arbitrari*, cum non constet decretum; quaeritur: num stet aut an fieri possit cum homilia s. Hieronymi presb., prout in fine Brev. rom.? S. C. resp.: Evang. respondere debere homiliae officii diei ac proinde, quando in missa *In virtute* legendum est evang. *Nolite arbitrari*, nec secus notatur, tunc II. II. n. sumendas esse ex octav. rom. Die 1. Sept. 1804 ad 9.

2. Dubitatur: Quatenus responsio foret, non licere nisi constet de concessione, quaeritur: an pro concessione habenda sit sequens S. R. C. Rescriptum, scilicet: „Expositum fuerat Dubium: utrum praedicta S. Hieronymi Homilia esset approbata et utrum tuta conscientia legi possit?“ Cui Dubio S. C. respondit die 16. Dec. 1828 in una Leodien. ad Nuncium Apost. Paris. ut sequitur: „Legi potest Homilia S. Hieronymi in praedictum Ev. ad correspondentiam Officii cum Missa obtinendam“, an itaque haec responsio haberi potest tamquam concessio, vi cuius liceat praedictam Homiliam S. Hieronymi legere in Festo S. Wenceslao?

S. C. ... rescribendum censuit: „Juxta votum Magistri Caeremoniarum“, nimirum:

Ad 1. et 2.: „Negative.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4930 ad III. et IV. Die 11. Sept. 1841.

88) Votiva.

a) De ss. Angelis.

Vd.: *Missa de Req. pro Infantibus; Exequiae parvulor.*

b) Cantata (Dies impeditus).

Vd.: *Missa vot. privata* (dies imp. decr. n. 4237); *Missa vot.* (Substituine potest etc.?)

Ad dubium: num saltem in primis diebus sol. possint substitui loco votivarum cantatae de festo; reliquis vero diebus infra octavas privil. et fer. IV. Ciner. cantari votivae? S. C. resp.: Negative. n. 4237 ad 9 die 22. Dec. 1753.

Ad dubium: An lectis missis loco cantatarum satisfieri possit foundationi? S. C. resp.: Affirmative ex rationab. causa ab Ordinario dignoscenda et approbanda. *Ibid.* ad 8.

c) De s. Cruce.

Non licuisse neque licere Missam s. Crucis ullo modo in Metrop. Florentina in die Veneris infra octavam Nat. D. quacunq. praetensa consuetudine dictae Metrop. illam celebrandi singulis diebus Veneris infra annum et signanter infra dictam octavam non obstante. n. 2459 die 12. Jan. 1669.
(Vd.: *Missa vot.* — Quae dicenda?)

d) Dies et octavae prohibentes.

Vd.: *Vigil. Epiph.*; *Missa in aliena Ecclesia etc.* (decr. n. 4526 ad 20); *Missa vot. sol. et privat.*; *Missae tres nov. Presbyt.*

In futurum non recipiatur obligatio ad missas votivas celebrandas, nisi pro diebus, in quibus secundum regulas Missalis celebrari possunt. De Missis vero votivis jam *acceptatis et non celebratis*, Sanctitas Sua dixit, ut transferatur eorum celebratio in dies, in quibus liceat illas celebrare et in hoc solum dispensare voluit, ut celebrari possint in alio die non impedito, quando Missae dicendae relictae vel legatae sint in die impedito.

Quando vero multitudo Missarum vot. jam *acceptatarum* tanta fuit, ut pro illis celebrandis non sufficiant dies non impediti, Sanctitas Sua dispensavit „ut pro missis jam *acceptatis*, quae non possunt celebrari diebus non impeditis, *sufficiat applicare valorem Missae currentis* et ordinarie, tam pro vivis quam pro defunctis, qui postulaverunt missas votivas.“ n. 489 die 19. Maii 1614.

Ad dubium: an votiva in cantu fundata, uti de Venerabili fer. V., de B. V. M. in Sabb., sic de aliis votivis aliarum dierum, possit de iis cantari Missa, quando est dominica vel festum dupl. aut infra octavam excludentem duplex? S. C. resp.: *Esse abusum* ideoque juxta decretum die 19. Maii 1614 loco missarum votivarum cele-

brandas esse missas de festo currenti et cum applicatione Sacrificii satisfieri et Benefactorum mentem impleri. n. 3029 ad 6 die 24. Julii 1683.

Missas votivas non posse dici in diebus duplicibus juxta Rubricas. n. 707 ad 3 die 7. Aug. 1627; n. 2595 ad 3 die 3. Sept. 1672.

Canonici Terrae Martinae, obligati ad celebrandum nonnullas missas votivas in diebus praescriptis, in quibus multoties occurrat festum de praeepto, petunt, an licite possint dictae missae votivae diebus festivis de praeepto celebrari seu potius cum missa currenti obligationi illarum satisfieri? S. C. resp.: Missas votivas esse transferendas in alteram diem non impeditam festo de praeepto. n. 1009 die 9. Dec. 1634.

Prohibendum esse, ne in posterum *infra Octavam Corp. Chr.* missae votivae quaecunq. celebrentur. n. 2505 die 21. Julii 1670; n. 3873 die 29. Sept. 1714.

Concessionis Indulti celebrandi missam *ad impetrandam gratiam bene moriendi* occasione alicujus infirmi in extremis laborantis etiam in festo dupl., ratione consuetudinis. S. C. resp.: Negative, et in casu de quo agitur, recitetur Oratio sive Collecta ad impetrandam gratiam bene moriendi. n. 3986 die 20. Aug. 1729.

Ad dubium: Quando per rubricas missalis et per decr. S. C. per octavas Nativ., Epiph., per fer. IV. Cinerum, a D. Palm. usque post octavam Paschae, per octavas Pentec., SSmi Corp. Chr. prohibentur missae priv. vot.: an etiam hae vot. in *cantu* prohibentur? S. C. resp.: Affirmative. Die 22. Dec. 1753.

In festis dupl., infra octavas Epiph., Paschatis, Pentec. et Corp. Chr. ac in tota hebdom. majori, fer. IV. Cinerum, Vigilia Pentecost. ac Nativ. Dom. celebrare missam vot. priv. vel de Requ. nullo modo licet. S. C. R. Die 28. Sept.

B. V. M. (Vigil.); *Missam vot. B. M. V.* (in singul. etc.); *Rosar.* (missa votiva.)

Missas proprias de festivitibus B. V. M. non esse celebrandas, nisi diebus, in quibus dictae solemnitates occurrunt, et per earum octavas, quas habent; caeteris temporibus earum loco celebrandam unam ex votivis B. V. M. in fine Missalis positam juxta distributionem temporum in eo factam cum intentione ad honorem Annunciationis, Assumptionis etc. n. 2859 ad 8 die 12. Mart. 1678.

Ad dubium: an, qui implementum oneris tenetur celebrare missam B. V. M. vigilia Assumptionis B. V., teneatur celebrare missam votivam vel de vigilia? S. C. resp.: ex quo Missa de Vigilia sit de ipsa B. V. laudabilius videtur, ut celebret missam de Vigilia, in qua et universalis Ecclesiae ritui et particularis oneris implemento consolatur. n. 2133 die 3. Sept. 1661.

Ad dubium: an infra octavas festivitatum B. V. M. missae vot. ejusdem celebrari possint? S. C. resp.: *Negative.* n. 2674 ad 3 die 13. Jan. 1674.

Ad dubium: an in Sabbatis, in quibus occurrit B. M. V. quaedam festivitas, aut infra octavam ejusdem, celebrari debeat Missa ejusdemmet festivitatis, aut votiva vel non votiva an vero semper missa *Egredimini*, ut in Brevi assignatur pro Franciscanis Provinciae Bahien in Brasilia? S. C. resp.: affirmative ad primam partem, nempe: celebrandam missam festivitatis aut de infra octavam, tamquam non votivam, si de eadem octava recitetur Officium; si vero recitetur Officium alterius festi, celebrandam esse pariter missam de infra octavam, sed more *votivo*; negative ad secundam partem. n. 4447 ad 2 die 26. Jan. 1793.

Ad dubium: Utrum ex praescripto fundatorum et institutione eorundem possit dici missa de Assumpt., Purificat., Concept. B. V. M. etc. in Sabbatis

vel aliis feriis per annum non impeditis festo dupl.? S. C. resp.: Non sunt violandae rubricae imperitorum Laicorum causa et ideo petentibus missam vot. de Assumptione etc. fiet satis celebrando unam ex missis vot. de B. V. M. juxta temporis occurrence. n. 4223 ad 7 die 29. Jan. 1752.

Pro missis ex foundationibus aut ex alia quacunque causa in cantu celebrandis sive de Assumptione sive de Conceptione extra ejus dies festos vel octavas earundem Solemnitatum, assumi nequit propria festivitatis sed substituenda est una ex quinque votivis missis B. V. M., quae habentur in missali rom. juxta congruentiam temporis. n. 4237 ad 5 die 22. Dec. 1753.

Ad dubium: ex indulto concessum est (Ordini Carmelit. Poloniae) semel in mense Officium ss. Nominis B. V. M. et singulis Sabb. de Concept. Immac. B. V. M.; quaeritur: an missa celebrari debeat de festo ss. Nom. et resp. de Concept. seu sumenda sit de quinque vot. assignatis pro diversitate temporis? S. C. resp.: Affirmat. ad primam part.; negative ad secundam, mutato tamen Graduali in Adv. et addito Tractu a Septuag. usque ad totam Quadrag. n. 4361 ad 3 die 27. Mart. 1773.

Ariminen.

Quolibet intra annum Sabb. Capitulum Cath. Ariminen. Eccl. ex antiqua consuetudine, in Statutis etiam contemplata, assolet Missam vot. B. M. V. decantare. Ast quum diversa sit Capituli opinio circa hanc ipsam Missam quoties privilegium Assumptionis Deiparae incidit in Sabb., sequens Dub. pro opportuna solutione superiore anno 1847 datum fuit S. R. C., nimirum: An in privilegio Festi Assumptionis B. M. V. incidente in Sabb., praeter

cendae sint, de octava currenti celebrentur. Die 5. Sept. 1851. In Mechlin.

Pius PP. VI.

Cum sicut dilectae in Christo filiae, moderna commendatrix nuncupata ac moniales regalis monasterii ordinis militaris sancti Jacobi de Spatha oppidi Matriti Toletanae dioecesis Nobis nuper exponi fecerunt, pro singulari, quem tum ipsae tum dilecti filii constituentes et repraesentantes consilium ordinum militarium Hispaniarum erga beatam Mariam virginem Immaculatam gerunt, devotionis affectum missam sol. Conceptionis ejusdem beatae Mariae virginis Immaculatae in ecclesia dicti monasterii diebus infra octavam festi ejusdem Conceptionis, in quibus ad eam repraesentantes praedicti collegialiter accedere solent, celebrari facere posse plurimum desiderant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur, Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, ut in posterum in ecclesia dicti monasterii iis diebus infra octavam Conceptionis beatae Mariae virginis Immaculatae, in quibus regale consilium ordinum militarium Hispaniarum ad eam collegialiter accedet, ut praefertur, missa solemnitas ejusdem Conceptionis beatae Mariae virginis Immaculatae, prout in ejus die, licet diversum occurrat officium, celebrari libere et licite possit ac valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 29. Julii 1788.
(Bull. r. Continuatio t. VIII. p. 208.
Ed. Rom. 1843.)

X. In Sabbato.

Vd.: *Off. imm. Concept. B. V. M. in Sabb.; Missa vot. de B. V. M.* (quae missa, decr.

Missam de ipsa Vigilia, decantari etiam debeat Missa Vot. Deiparae, quae ex invecta consuetudine decantatur: seu an Missa Vigiliae votivam Missam excludat? Hujusmodi vero Dub. per Secretarium propositum quum fuerit in Ordinariis Comitibus eodem superiore anno III. Id. Sept. habitis, placuit Emis. P. S. tuendis Ritibus praepositis, Informationem exquirere Rmi Ariminen. Ep., ut certior redderetur S. C., num vel ex Apost. Indulto vel ex pio Legato Capitulum Cath. Arimin. adigeretur ad Missam saepe dictam Vot. B. M. V.? Iterum itaque ab eodem Secretario infrascripto proposito Dubio in novis Ordinariis Comitibus ad Quirinale habitis hodierna die, una cum dilucida numerisque omnibus absoluta Informatione Rmi Ep. Arimin., S. eadem C. respondentum censuit: „In casu posse cantari sola Missa de Vigilia, quum nullum adsit peculiare onus Missae vot.“ n. 5122 die 22. Julii 1848.

Ex immemorabili consuetudine in omnibus fere ecclesiis archidioec. Mechl. cantatur missa vot. ad instar solemnitas pro re gravi de B. V. M. fer. 4. quatuor temp. Adventus. Pro hac missa, quae celebratur cum maximo populi concursu et ex auctoritate seu indicatione legati Ordinarii sumitur votiva de B. M. V. tempore Adv. „*Rorate*“, etiam cum dicta feria incidit in diem ipsam octavam Immac. Concept. vel pridie, quia celebratur dicta missa in memoria mysterii dominicae Incarnationis. Quum autem alii velint contemplantam esse in casu missam de octava, petitur, ut S. R. C. mentem suam circa consuetudinem cantandi missam *Rorate* (sine com. octavae Immac. Concept.) declarare dignaretur. Et S. C. resp.: *Cautum est per decreta, ut minime locum habeant missae vot. B. V. M. intra ejusdem octavas; quae si di-*

1675. Cf.: *Annivers.* (dies annivers. ex dispos. test. decr. n. 2847.)

e) Ad postul. grat. bene meriendi.

Approbatur et conceditur pro Ecclesia universali missa nova ad *postuland. gratiam bene moriendi*, ponenda in missalis post missam pro remiss. peccatorum et in rubr. Gener. *in tit. de color. param. sub colore violaceo*, ac praeterea in Gradual. ad cantum chori in eodem cantu et tono, qui in antiquis habetur fer. IV. Dominicae I. et Sabb. Dominicae III. in Quadrag. et in Dom. IV., VI., XVI., XX. et XXI. p. Pent. S. R. C. 20. Mart. 1706 approb. Clemente XI. 27. ejusdem. Vd. sub *d* decr. n. 3986.

f) Pro Infirmis.

I. Dies.

Florentin.

Plebana in Ecclesia S. Bartholomaei vulgo nuncupata a Gagliano Florentin. Archidioecesis erecta est Sodalitas titulo bonae Mortis. Ad utriusque sexus Sodalium saluti prospiciendum, praesertim dum in extremo mortis periculo sunt constituti, S. R. C. supplicavit Sacerdos Stanislaus Pozzi recensitae Ecclesiae Plebanus, quatenus ad S. Apostoli praedicti Aram valeat celebrari Missa pro infirmo mortis in articulo constituto, uti prostat in calce Missalis Rom., toties quoties quilibet Sodalium in hoc periculo versatur. S. eadem C. ad Vaticanas Aedes infra-scripta die Ordinariis in Comitibus coadunata, ad relationem subscripti Secretarii, omnibus rite perpensis, rescribendum censuit: „Pro Collecta tantum in Missa diei“. Atque ita servari posse permisit, attamen servatis Rubricis. n. 4881 die 11. Apr. 1840.

II. Oratio.

Quum sit in votis Sacerdotum Congregationis erectae in parochiali Ecclesia Civitatis Conspicuae Dioecesis Melitensis. ea, qua par est sedulitate, fideles coadjuvare, dum vel infirmitate laborant vel morti proximi reperiuntur, S. R. C. supplicarunt, ut hisce in casibus in missa addi possit *pro infirmo* vel *morti proximo*, prout necessitas efflagitaverit. S. C. resp.: Pro gratia, verum gravibus in infirmitatibus, a Con-sodalibus tantum et in Ecclesia Congregationis. n. 4818 die 23. Sept. 1837.

Vd.: *Missa vot.* (dies et octav. etc. decr. n. 3986.)

g) De B. Maria V.

I. In Adventu.

Missa „*Rorate*“ etsi solemniter decantetur in Adventu, non est tamen recensenda inter missas vot. pro re gravi vel publica causa, sed haberi dumtaxat poterit ut mera populi devotio. n. 4223 ad 6 die 29. Jan. 1752.

Pius PP. VIII.

Cum, sicut dilecti filii Superior et religiosi monachorum s. Francisci coenobii adnexi ecclesiae titulo ejusdem s. Francisci Assisiensis oppidi civitatis palmae nuncupati Majoricensis dioecesis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem erga Deiparam praeseferrunt, devotionis affectum, ejusdem cultum et venerationem in dies augeri summopere desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut in posterum occasione peculiaris festi, quod exponentes in honorem conceptionis Beatae Mariae Virginis agere

solent in dicta ecclesia in una ex dominicis adventus excepta tamen dominica prima, quotannis in eadem ecclesia una tamen missa cum cantu propria de ipsa Conceptione, quae incipit „*Egredimini*“ tamquam votiva pro re gravi, sed non ommissa conventuali de dominica, celebrari possit, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus.

Datum Romae die 7. Sept. 1803. (Bull. r. Contin. t. XI. p. 379.)

Ad dubium Ordinis Carmelit. Excalceat. in Polonia:

Cum in Synodo Provinc. constitutum sit, ut in Adventu singulis diebus celebretur missa primaria B. V. M. „*Rorate*“, utrum in dupl. possit dici missa eadem privatim? Et in dominicis Adventus ac festis 1. vel 2. cl. secundum institutum ejusdem Synodi, utrum ut *solemnis* cum oratione unica, *Gloria et Credo*, an vero cum orationibus dominicae et aliarum canenda sit? Et praecipue in illis Ecclesiis, ubi non est consuetudo cantandi duas sed tantum unam missam? S. C. resp.: Ad primam et secundam partem dubii: negative. n. 4134 ad 4 die 1. Decb. 1742.

Tolerari potest in Dioecesi Cracoviensi missa votiva cantata B. V. M. toto tempore Adventus exceptis solemnioribus festivitibus, dummodo cantatur *sine symbolo* et solum cum *Gloria* in Sabbatis et infra octavam ejusdem B. V. M., non ommissa missa conventuali. n. 4166 ad 8 die 22. Aug. 1744.

In Ecclesiis minoribus, ubi unica celebratur missa, non potest omitti illa occurrentis festi de praecepto, ut cantetur votiva (*Rorate*). *Ibid.* ad 9. Vd.: *Missa vot. de B. V. M.* (Quae missa? decr. de die 5. Sept. 1851. *In Mechlin.*)

Vd.: *Expos. SSmi* (In *Rorate*).

II. In Adventu Novendialis.

Ad dubium: an, attenta antiquissima consuetudine, liceat in Insulis Angrens. celebrare novendiales missas votivas de B. V. M. ante Nativitatem Dom., quamvis in ipsis concurrat festum s. Thomae ap. aut Dominica 3. vel 4. Adventus? S. C. resp.: ratione concursus populi, quatenus adsit, decantari posse missam votivam de B. V. M., non ommissa tamen currenti et quidem solemniter statuta hora canonica de more decantanda. n. 1931 die 28. Sept. 1658.

Ad relationem Magistri Caer. *His-palen:* Novem per dies ante Nativ. D. N. ad auroram celebrantur missae de festivitibus B. V. in feriis et in dupl. classicis et Dominicis cum *Gloria et Credo* et unica oratione praetextu devotionis populi. Conveniunt enim in chorum cantandi causa plures laici et quasdam canunt cantilenas risum moventes, tempori lo-coque nullatenus consentaneas. S. C. resp.: Abusus omnino tolli debet. n. 2811 ad 7 die 16. Jan. 1677.

Ad dubium: an sit licitum vel possit concedi licentia, ut in prima missa de B. V. M., quae summo mane et cum magna solemnitate dicitur in diebus ante Nativ., cui totus populus cum magna devotione assistit, dicatur *Gloria et Credo*, non obstantibus tribus orationibus, attento, quod istae missae cum solemnitate reputantur pro re gravi, cum devotio antiqua et immemorabilis servorum B. V. M. applicet has missas pro agris nuper seminatis et pro salute totius populi? reliquae vero missae, quae dicuntur post primam missam cum solemnitate, dicantur sine *Gloria et Credo*. S. C. resp.: *Negative.* n. 2972 ad 2 die 24. Jan. 1682.

Ad dubium: An in Novendiali ante Nativitatem Domini liceret in Eccle-

sia Colleg. Arcis Regalis Missam de B. V., ad quam ex voto Magistratus praedicti Oppidi se obligavit, solemniter canere, etiam die Dominico et in Festo S. Thomae Apostoli?

Eadem S. R. C. respondit: „Cantari posse ac debere Missam praedictam cum *Gloria et Credo* etiam in diebus enunciatis instar Missarum Votivarum pro re gravi, non omissa tamen in eadem Ecclesia Missa conventuali. n. 3863 die 9. Dec. 1713.

Humillimis P. Laurentii a S. Laurentio olim S. Montis Sion Guardiani, totiusque Terrae Sanctae Custodis precibus S. R. C. porrectis et ab Emo et Rmo D. Card. de Abdua relatis

S. eadem R. C. „ex gratia speciali benigne indulsit atque concessit, ut in novemdialibus, quae ex immemorabili consuetudine a PP. Ordinis Minorum Observantium Civitatis Bethleem ad Praesepe Domini ante Festum Nativitatis Domini N. J. Chr. celebrantur cum expositione SSmi Sacramenti, imposterum Missa solennis votiva B. M. V. cum *Gloria, Credo* et Orationibus SSmi Sacramenti, pro Papa, Imperatore ac Principibus Christianis, a praedictis Patribus ejusdem Civitatis, etiam in diebus Dominicarum Adventus et S. Thomae ad Praesepe Domini Nostri celebrari et respective recitari possit et valeat.“

N. 3890 die 12. Sept. 1716.

S. R. C. ad humillimas preces P. Fr. Matthaei de Pareta Ordinis Minorum Observantium S. Francisci, Commissarii Generalis Curiae benigne indulsit atque concessit: „ut in omnibus Ecclesiis praedicti sui Ordinis, in quibus hactenus in Novemdiali ante Nativitatem Dom. Missa solennis votiva B. M. V., quae incipit *Rorate*, absque *Gloria et Credo* celebrari consuevit, in posterum iisdem diebus eadem Missa cum *Gloria et Credo* celebrari possit et valeat, non omissa tamen Conventuali“.

N. 3919 die 10. Decembris 1718.

Idem decr. pro Confraternitate s. plagarum J. Chr. in via Julia. n. 3921 die 10. Decb. 1718.

III. De Apparit. B. V. M.

Pius PP. VI.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii officiales et confratres tertii ordinis nuncupati beatae Mariae virginis de Mercede canonice, ut asseritur, erectae in ecclesia conventus fratrum ordinis ejusdem beatae Mariae virginis de Mercede redemptionis captivorum civitatis Limanae, quod alias, die nempe XI. Julii MDCCXI. a congregatione tunc existentium Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris ritibus praepositorum editum fuit decretum, tenoris, qui sequitur, videlicet:

Ordinis excalceatorum B. M. V. de Mercede redemptionis captivorum.

Ad humillimas preces rev. patris Didaci a sancto Philippo procuratoris generalis excalceatorum beatae Mariae virginis de Mercede redemptionis captivorum, nomine etiam totius ordinis suae religionis sacrae Rituum congregationi porrectas, in quibus demisse supplicabatur, ut loco missae votivae, quae ex regulis ordinis et privilegiis respective Clementis VIII. et Urbani VIII. a toto supradicto ordine singulis sabbatis cujuslibet hebdomadae canitur, exceptis tamen diebus sabbati sancti, vigiliae et nativitatis Domini et in die sancti Petri Nolasci, in posterum missa propria *Apparitionis beatae Mariae virginis*, alias pro festivitate ejusdem apparitionis beatae Mariae virginis sub die 2. Junii 1685 ab hac sacra congregatione approbata, a toto ordine calceatorum beatae Mariae virginis de Mercede redemptionis captivorum in dictis singulis anni sabbatis cani possit. Et sacra eadem Rituum Congregatio ad relationem Emi et Rmi

domini Cardinalis de Abdua, benigne inclinata respondit = Pro gratia mutatis illis verbis in introitu = *diem festum* =, quorum loco dicitur = *memoriam*, die XI. Julii 1711.

Postmodum vero felicitis recordationis Benedictus PP. XIV. praedecessor Noster per suas in simili forma Brevis die decima sexta Novembris 1757 omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis fratrum beatae Mariae virginis de Mercede redemptionis captivorum singulis sabbatis totius anni devote visitassent ibique missae propriae de beata Maria de Mercede cantari solitae pie interfuisent, plenariam quarto sabbato cujuslibet mensis omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in Domino concessit, in reliquis vero sabbatis totius anni eisdem Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, septem annos et quadragenas de injunctis eis vel alias quomodolibet debitis poenitentibus in forma Ecclesiae consueta relaxavit et alias prout in ipsius Benedicti praedecessoris literis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes pro peculiari, quem erga eandem beatam virginem de Mercede gerunt, devotionis affectu facultatem celebrari faciendi praedictam missam propriam *Apparitionis beatae Mariae virginis* a dicta congregatione, ut praefertur, approbatam toto ordini Calceatorum et Excalceatorum beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum in singulis anni sabbatis, ut praefertur, concessam, ad ipsos quoque exponentes, qui in altari praedictae confraternitatis eam celebrare facere possint, extendi et

Decreta authentica. Tom. II.

ampliari ac praeter plenariam indulgentiam a memorato Benedicto praedecessore in quarto sabbato cujuslibet mensis, ut praefertur, concessam, aliam quoque plenariam primo sabbato cujuslibet mensis ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis et altare dictae confraternitatis eadem die devote visitantibus ac missae hujusmodi interessentibus, in reliquis vero sabbatis septem annorum et totidem quadragenas de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentibus in forma Ecclesiae relaxari consueta per Nos concedi plurimum desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur, Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, nunc et pro tempore existentibus officialibus et confratribus praedictae confraternitatis, ut *ipsi missam propriam Apparitionis beatae Mariae virginis a memorata congregatione pro toto ordine praedicto, ut praefertur, approbatam in singulis anni sabbatis servata in omnibus et per omnia praeinserti decreti praefatae congregationis forma et dispositione* in altari dictae confraternitatis celebrari facere libere ac licite possint et valeant, auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus. Omnibus vero utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui altare ipsius confraternitatis singulis sabbatis totius anni devote visitaverint ibique missae praedictae pie interfuerint et devote oraverint, plenariam primo sabbato cujuslibet mensis omnibus peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in Domino

concedimus: in reliquis vero sabbatis totius anni septem annos et totidem quadragenas de conjunctis eis seu alias quomodolibet debilis poenitentis in forma Ecclesia consueta relaxamus.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscunque.

Dat. Romae die trigesima Augusti 1777.

(Bull. r. Continuatio t. V. p. 396. Ed. Rom. 1847.)

IV. De Bethlehem.

Vd.: *Off. B. V. M. de Bethlehem.*

V. Credo.

Vd.: *Missa vot. de B. V.* (dies sub n. 2674 ad 1 die 13. Jan. 1674); *Sacerdos caecutiens; Missa vot. de Sancto* (gl., cr. decr. n. 4560 nota); *Missa vot. de B. V. M. in Adventu et in Sabb.*

Qui in Sabbato infra aliquem octavam B. V. M. recitat Officium de aliquo Sancto eo die currente, volens celebrare missam votivam de B. V. M., tenetur celebrare missam *festivam* cum Gloria*) sed *sine Credo*. n. 3073 ad 7 die 2. Decb. 1684; n. 4447 ad 1 die 26. Jan. 1793.

Ad dubium: an in missis vot. B. M., quae cantantur in Officiis ruralibus conventualibus, canendum sit *Credo*? S. C. resp.: servandas esse rubricas de miss. vot. n. 3144 die 30. Aug. 1687.

Capellani Ecclesiae s. Mariae Neapol. in missis votivis de B. Maria, quae in qualibet fer. 3. ex legato cantantur, non possunt dicere Gloria et Credo. n. 3195 die 30. Julii 1689.

VI. Dies.

Non potest in Vigilia Pentecostes, omissa solemniter Missa de eadem, can-

*) Immo extra Sabb., si infra octavam B. M. V., Die 22. Aug. 1744. In Cracovien.

tari missa de B. V. n. 1627 ad 1 die 19. Aug. 1651.

Vd.: *Missa vot.* (Quando et quae dicenda, decr. n. 4201); *Missae tres novi Presbyt.*; *Missa concord. cum Off.* (decr. n. 5116); *Missa vot. B. V. M.* (in singulis etc.)

Non licuisse neque licere sine Indulto apost. celebrare in Ecclesia S. Mariae Neapolis fer. 3. Pentecostes Missas B. V. M. prout in die Nativ. Dom., mutatis etiam mutandis ex voto facto tempore contagii et propterea in posterum prohibendum, ne cantetur dicta Missa, nisi aliter doceant de Privilegio, sed festum esse solemnizandum cum missa currentis feriae. n. 2461 die 12. Jan. 1669.

In *alma domo Lauretana* ex privilegio S. C. missae vot. de B. V. in Dominicis necnon in festis ss. apost. ac aliis dupl. celebrari possunt; inde dubitatur: an quando missae vot. celebrantur in diebus festis ac infra octavas ratione praedictarum festivitatum *Credo* dici debeat? S. C. *Negative*, nisi in illis missis vot. tantum, quae solemniter pro re gravi et publica Ecclesiae causa celebrantur. n. 2674 ad 1 die 13. Jan. 1674.

Ad dubium: an in festis et dominicis 1. cl. et signanter dom. SS. Trinitatis liceat canere missam vot. B. V. M. pro re gravi cum interventu Cleri, assistentia Episcopi et concursu magistratus et populi, vel potius in tali circumstantia addenda tantum sit oratio B. V. M. in missa conventuali post orationem festi sub unica conclusione? S. C. resp.: Non licere praeter commemor. in missa convent. n. 4342 die 12. Sept. 1767.

SS. D. N. Pius PP. IX. die 4. Dec. 1846 de speciali gratia benigne concessit ad proximum Septennium, ut in Sacello B. V. M. *Vetero-Oettingae* (in Bavaria) singulis diebus missa vot. de B. V. M. a quolibet Sacerdote cele-

bretur, dummodo rubricae serventur ac semper exceptis diebus festis de praecepto servandis, dupl. I. et II. cl., feriis, vigiliis et octavis privilegiatis, caeterisque B. V. M. contrariis non obstantibus.

Prorogatum ad proxim. Sept. d. 14. Jul. 1853.

Benigne annuimus Oratoris precibus et petitam gratiam *perpetuis temporibus valituram* et absque ulla Brevis expeditione concedimus.

Pius PP. IX.

Romae ap. s. Petrum d. 4. Jul. 1860.

Ex Archivo Sacelli B. V. M. Vetero-Oettingae.

VII. Gloria.

Circa „*Gloria in excel.*“ in Missis votivis de B. V. M. in Sabbato idem faciendum esse in Sabbatis Adventus, quod in aliis Sabbatis fit. n. 351 ad 11 die 19. Maii 1607.

Gloria in excels. etc. dicendum esse in missis vot. de B. V. M. in Sabbato, etiamsi non fiat Officium de ea. n. 410 die 27. Julii 1609; n. 3191 die 30. Julii 1689.

Ad petitionem pro facultate continuandi in celebratione missarum B. V. M. in diebus ferial. juxta immemor. consuetudinem singulis mensibus cum *Gloria* et *Credo*. S. C. resp.: Servandas esse rubricas, quacunque consuetudine non obstante. n. 3280 die 17. Maii 1692.

In missa vot. de B. V. M. in Sabbato semper dicendum *Gloria* ratione Sabbati. n. 4447 ad 1 die 26. Jan. 1793.

Indulta a S. R. C., referente Emo et Rmo D. Cardinale S. Clementis sub die 13. Augusti 1701 Religiosis Minorum S. Francisci de Observantia Provinciae Beihicae discalceatorum nuncupatorum facultate celebrandi singulis diebus Sabbati per annum Missam votivam de B. V. M., exceptis die

Nativitatis et Sabbatis Paschalis et Pentecostes, Fr. Isidorus de Jesu Ordinis Minorum excalceatorum S. Francisci praedicti pro declaratione infrascripti dubii S. R. C. demisse supplicavit, videlicet:

An in Missa votiva de B. M. V., ut supra, celebrari concessa debeat dici Hymnus Angelorum, Symbolum Apostolorum et unica Oratio?

Et S. eadem R. C., ad relationem ejusdem Emi et Rmi D. Card. S. Clementis, respondit: „Servandas esse Rubricas de Missis votivis.“

Et ita declaravit. n. 3747 die 17. Julii 1706.

Ad dubium: an Sacerdos, qui ex Indulto quotidie celebrat miss. vot. de B. V. M. in Sabb. et per Octavas festorum Deiparae addere possit *Gloria etc.*? S. C. resp.: affirmative in Sabb., in reliquis negative. n. 4847 ad 1 die 23. Febr. 1839.

VIII. Orationes.

Vd.: *Missa convent.* (oblig. ad duas decr. n. 4044); *Missa vot. de B. V. M. in Adv.*; *Missa vot. B. V. M.* (dies, decr. n. 4342); *Missa vot. de B. V. M. in Sabb.* (decr. n. 4378.)

Ad dubium: an Franciscani Provinciae Bahien in Brasilia in missa votiva in singulis Sabbatis non impeditis festo dupl. 1. vel 2. cl., vigiliis atque octavis privilegiatis dicenda solemniter tres Orationes vel una tantum cum Credo dicere debeant? S. C. resp.: Affirmative ad primam partem juxta modum, scilicet, in feriis simpl. et semidupl. tres dicendas esse Orationes; in duplicibus duas. n. 4447 ad 1 die 26. Jan. 1793.

IX. Quae missa?

Cf.: *Missa vot. de B. V.* (Credo); *Sacerdos caecut.* (decret. n. 4594 ad XI.); *Missa de Rosario* (decret. n. 4670); *Septem. dolor. B. V. M.* (decr. n. 4670); *Immacul. Concep.*